Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2073

Quelle:
Copyright:

Hib. p. 377. et *Oſſingeri Bibl. Auguſt.* p. 426.

VII. *fol.* 295. *Collationes* variae ſive *Quaeſtiones Magiſtrales* ex Libris Sententiarum tempore *Nicolai de Dünkelspühl* et *Michaelis Suchenſchatz*, quorum nomina interveniunt, id eſt, ſub initium Sec. XV. in Academia noſtrate ventilatae, quarum initium eſt: *Caput tuum ut Carmelus can. 7. reuerendi patres domini et magiſtri dilectiſſimi* &c.

VIII. *fol.* 360. Anonymi *Sermo* ad Academicos *de S. Johanne Evangeliſta* in illud *Eccl.* 15. *In medio eccleſiae aperuit os ejus.* Initium: *Originaliter et tranſſumptive in officio hodierno, Reuerendi &c. ſecundum iohannem criſoſtomum auguſtinum et gregorium* &c.

DXLVII.

117 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per 2. Columnas calamo currente exaratus continet *Richardi Radulphi fil.* (Fitz-Ralph f. Rauf) *Hiberni Dundalkenſis* ex Academiae *Oxon.* Commiſſario, Archidiacono *Ceſtrenſi* et Decano *Litchfeldenſis* Eccleſiae Archiepiſcopi *Armachani* ac Patriae Primatis *Avenione* ad Curiam Romanam, quo a Fratribus Mendicantibus citatus fuerat, 1360. defuncti *Libros VII. de Paupertate Salvatoris* ſeu *de Mendicitate Fratrum*, ut alii Codices in *Anglia* praeferunt, qui etiam Librum *octavum*, quin et *nonum* memorant, non tamen *Libellos 16.* ut per errorem typi in *Th. Tanneri Biblioth. Brit. et Hib.* p. 284. irrepſiſſe videtur. Praeit nuncupatoria Epiſtola hoc initio: *Sanctiſſimo in chriſto patri ac domino, domino noſtro Innocentio VI. diuina prouidentia ſacroſancte romane ac vniuerſalis eccleſie ſummo pontifici, ſue ſanctitatis humilis creatura Ricardus archiepiſcopus ardmachanus primas Hybernie, pedum oſcula beatorum. Dudum fel. rec. dominus clemens papa VI. ſui regiminis Anno octauo* (1349) *venerabilibus duobus in Theologia doctis doctoribus ac mihi puſillo negocium quoddam inter duos precipuos mendicantium ordines, cum omni poſſibili diligentia annis plurimis laceratum* &c. Sequitur Conſpectus Operis διαλογικως inter *Joannem* et *Ricardum* conſcripti, quem, cum ineditum ſit, hic repraeſentamus. *Primus liber habens XXXIIII capitula tractat de diuino atque angelico dominio ac poſſeſſione rerum et uſu ipſarum ab eis. Secundus liber tractat de humano originali dominio ipſum deſcribens, ac partem deſcriptionis ipſius declarans. Tercius liber poſſeſſionem diſtinguit multiplicem qualem habuit primus parens noſter oſtendens deſcriptionem originalis dominij quo ad eius uſum et alias circumſtantias declarando. Quartus liber de proprietate et iure utendi ac de poſitiuo ſiue ciuili dominio et eius poſſeſſione et uſu ac iure vtendi pertractat. Quintus liber de principiis ditantibus deum angelos bo-*